



ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ,

SEV RATIO DIGNO-  
SCENDARVM SEDIVM

MALE AFFECTARVM, ET  
affectuum præter naturam.

*Ab actione læsa membrum malè affectum  
cognosci.*

CAPVT I.



**X** SIGNIS, quibus quæli-  
bet corporis humani pars ma-  
lè affici dicitur, ab eius actio-  
ne læsa, primùm depromi Ga-  
lenus vult: quoniam certissi-  
mum illud est, nec medicum vnquam fallit.  
At corporis humani functio trifariam læ-  
di potest, nempe aut cùm non omnino fit: aut  
deprauatè, aut imbecilliter: quæ tria sympto-  
matum genera in oculo malè affecto conspi-  
cua sunt. Oculus enim, qui malè afficitur, aut  
omnino non videt, aut malè: hoc est debi-  
liter, aut deprauatè. Sic ani sphincter para-  
lysi laborare dicitur, si inuita fit alui deiectio.

Λ